

DE FAMULARUM DOMESTICARUM MORALI DEFENSIONE

(cura et studio Rmi Dni PROSPERINI)

Summae gravitatis problema est defnsio puellarum quae in servitium ceu famulae domesticae et cubiculariae apud familiae assumuntur in quibus non raro earum puritas et honestas periclitatur et inde initium sordidae ac peccaminosae vitae.

Ne casus tangamus extremos-non infrequentes tamen-earum puellarum quae in iis condicionibus assumuntur in quibus legitime suspiceri potest de iis "servitiis"agi quae ineluctabiliter et christianam dignitatem et futuros mores labefactantur.

De iis solum casibus loqui volumus qui initio omnino normales sunt:agitur de proba quadam familia quae non ob aliam causam puellas nisi ad honesta servitia explenda assumit,nisi forte juvenili nimis earum aetate considerata,sperent se inferius aequo salario eis tribuere posse ac simul praevidentiae socialis officia necnon adsistentiae sanitariae officia devitare.

Familiae,in quibus famulae domesticae,adhuc in evolutiva aetate existentes quasi dehiscens floris fascinationem habentes,cum adolescentibus ejusdem plus minusve aetatis,eadem alliciendi vi praeditis,convivere coguntur.Cum vero prudentia quae matuoris aetatis propria est,expertes,ea e contra exuberantia suipsius fiducia,periculi amore junioris aetatis proprio,praediti sint,nil mirum quin mutuo causa tentationis sint indeque graves deplorandi lapsus.

Tentationes faciliores lapsusque probabilius tum ex gregali hodierne juventutis audacia quae illam adimit observantiam olim inter dominos et famulos existentem,tum ex habitationum angustia,in magnis turbibus praesertim,de quibus familia utitur (unde famulae domesticae proprio privato cubiculo saepe carent),tum denique ex licentia vestium utriusque sexus in dies immoderatior,quae passionum aestum ardentiorem efficit.

Cum vero irreparabile facinus evenit,seducta vel seductrix adolescentula ut unica responsabilis scandali habetur quod criminosis consiliis occultare aut id,aere collato,silentio tegere curant;quod minime ad moralem renovationem existentiae peccato dirutae juvat,nec deplorabili conditioni nati remedium affert cui minime nomen patris ferre sibi licet.

+ + +

Opinari hodie liceat "prudentiam carnis" propter diffusam mediorum ad violationem vitae aptorum,facilius problema de puella quae ab illa discedens domo in qua honestos mores amisit,facilius expediri,absque sequelis quae civium album (anagrafe) afficiant.

Attamen recentissime in quodam studio ad lauream in Instituto Psicologiae Universitatis de Urbe legebamus 64% innuptarum matrum,quae ad Institutum pro maternitate et infantia propter imminentem partum recursum fecerunt,ad "famularum domesticarum" classem pertinere.

Ingens hic numerus signum hodie late ingravescentis mali,procul dubio sunt.

Si vero puellis quae aut noluerunt,aut nescierunt,aut minime potuerunt maternitatem devitare,catervam earum addimus quae illicitis extinxerunt per lastris,de summae angustiae facto agitur.

Problema tamen alium habet aspectum maxime dolendum sane ac foedum: famula domestica seducta aut seductrix, semper tamen collapsa in familia in qua fidelis adlaboratrix esse debuerat, misere jam admissi experta mali, ob impossibilitatem ad propriam redeundi familiam, ob difficultatem novam inveniendi domum in qua excipiatur, ob necessitatem sibi ac susceptae proli consulendi, fere ineluctabiliter ignobilem meretricii viam ingredi compellitur. Eo magis cum de "officio" agatur in quo tirocinium jam absolutum est, nec unum solum sed centum acceptores habebunt (dein lucratores) pro quibus... commendationes minime necessariae sunt.

Ex "actibus curialibus" Senatus italici, qui inde ab anno 1949 usque ad annum 1955 de meretricio egit, amplissima investigatione peracta, constat famulas domesticas ubique altissimum numerum inter hospites luanarium constituere (immo de his solum data statistica collegi potuerunt). Investigationes in exteris nationibus exactae haec habent: Londinii 88%, Vindobonae 44-52%, in Italia 40-50%. Inquisitio supra 220 individua, 154 famulae domesticae erant.

Notum est legalem prostitutionem nonnisi infimum numerum constituisse (vix decimam partem) supra totalem numerum foeminarum huic turpi mercimonia deditum; non erat igitur sperandum abrogatam legem finem meretricii posituram fuisse.

Est igitur maxime dolendum factum, majoris infamiae nunc, cum meretrices diversoria et ipsas privatas domos invaserint; turpe commercium diversissimis celeratur titulis (Gabinetti di masso-terapia, istituti di bellezza, circuli culturales, cubicula consultationis, circuli diversionum (club di divertimento) etc...); in triviis, in hortibus (giardini), ubi lugunt pueri, tantae audaciae sunt ut vix ecclesias non ingrediantur. Legitime concludi potest exercitum foeminarum vitio ditarum pertimendas amplecti dimensiones nec ullam rationem hodie suadere posse in hoc famulas domesticas minoris numeri esse quam antea.

Initio ignominiosae hujus servitutis culpa quaedam exstat levitati potius quam malitia tribuenda, dolus adest eorum qui illarum fragilitate aut inexperiencia abusi sunt, desperatio adest propter irremediabiles sequelas, propter altas inadibiles spes.

+ + +

De "mulieris fortis" domesticis in libro "Proverbiorum" dicitur "omnes vestiti sunt duplicitibus". "Mulieris fortis" laus hodiernam damnat consuetudinem in ipsa domo tam leves tamque contractas induendi vestes ut nedum pudorem protegant sensualitatem potius excitant. Quod scandale adolescentulae famulae domesticae procul dubio est, quae cito, ad dominos suos imitandos compulsa immo invitata, occasio scandali deplorabilisque ruinae ipsa fiet.

Ne tamen sensu metaphorico laudem "Proverbiorum" sumamus, mulierem christianam enixe hortemur, quae saepe morale ac spirituale familie centrum est, ut duplice prudentiae ac vigilantiae ueste domesticos suos custodiat, ac imprimis debiliiores non quidem ut a frigore quin immo a passionum aestu.

+ + +

His praemissis Sacrosanctum Concilium has fortasse admittere poterit  
propositiones

./.

P R O P O S I T I O N E S

- 1.-Familia christiana,quae in suum famulatum puellam sumit,sciat exinde illam partem habere in societate familiari ideoque familiam ipsam erga illam obligationes contrahere non tantum inherentes ejus servitio,sed etiam graviores ordinis spiritualis,ut sunt: vereri ejus humanam et christianam dignitatem ejusque fidem et mores tueri.
- 2.-Eadem familia puellam famulari sciat non desidiae aut jactantiae dominorum sed vitae,sed officiis,sed et humanibus laboribus (sofferenze) suorum membrorum.
- 3.-Ne famulae exemplum praebeat malum exhibitione vanitatis,nugacitatis et jugis officiorum christianorum incuriae,neque ei praebeat occasionem operam malam quamcumque dandi (cooperare al male); immo potius ei faciliores reddat divinarum atque humanarum legum observantiam,frequentem haustum ad fontes gratiae neconon pro suis ingenio et conditionem exercitium apostolatus.
- 4.-Ne quis membrorum (ne domina quidem) audeat famulae violare intima (l'intimità) ideoque ei datur apta habitatio ad servandam hanc suam intimitatem.
- 5.-Nemini ex familiaribus liceat famula nimis familiariter uti,relationes amatorias cum ea intexere,habitum (atteggiamento) assumere qui virtutem suam offendere possit vel alere spem,quae nullo modo ad verum perducere fas erit.  
Peculiari,rigida vigilantia opus est ne familiaritates illae oriantur inter famulam et ejusdem aetatis filios familiae.

oooooooooooooooooooooooo